



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 49. Eugenius Papa ab Imperatore follicitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. XLIX.

Sæcul. XV.
A.C. 1433.*Pontifex ab Imperatore sollicitatus.*

Interea Julianus Cardinalis Papæ constantiam novis molitionibus expugnaturus, eundem omnibus viribus absterere conatur, ne Synodum legitime convocatam dissolveret, exponens, illam invitis Patribus eam constituentibus omnino dissolvi non posse. Imperator quoque Sigismundus, qui adhuc in Italia agebat, Cardinalis preces interposita quoque Cæsarea auctoritate fulcire satagebat, Pontifici ob oculos ponens, unicum, quo Ecclesiæ pax promoveretur, medium in eo esse positum, ut sua Basileensi Synodo libertas relinqueretur, nec enim Græcorum causam æque urgentem esse, quam Bohemorum salutem; Græcos quippe in suis erroribus jam a longo tempore inveteratos persistere, ac vix ullam conversionis suæ spem reliquam facere, horumque reductionem ad sinum Ecclesiæ adhucdum moram pati, nec inde timendum, quod Ecclesia ab eis nova plaga afficeretur: Ex adverso a Bohemis furore, & rabie actis hæreses novas ferro, & sanguine latius diffundi, atque ex omnibus istis palam fieri, quanta necessitas suaderet, Synodum, velut unicum hosce hæreticos compescen-

Sæcul. XV.
A. C. 1433.

di medium prosequi. Tandem concludit dicendo, se semper, si Eugenius Papa Synodo resistere pergeret, eam auctoritate sua defensurum.

§. L.

Legatio Papæ ad Synodum.

*Labbe Conc.
to. 12 p. 940.*

Cæsaris responsum Pontificem ad iram commovit; hinc eidem rescripsit, non esse Cæsaris de decretis Pontificum, ac Concilii iudicium ferre, sed suarum duratam partium esse, illis morem gerere, atque ea effectui dare. Hanc in rem Eugenius Oratores fidei publicæ literis munitos Basileam ablegavit, nimirum, Joannem Mella Protonotarium Apostolicum, Episcopum Cerviensem, duosque Abbates, qui omnes die octava Martii ad Congregationem admissi, in pleno Patrum consensu Legationis suæ negotia exponebant.

§. LI.

Legatorum Papalium oratio ad Synodum.

Id. ib. p. 505. Hi ergo præprimis hunc in modum perorabant: Equidem summus Pontifex de plenitudine potestatis, atque auctoritatis suæ omni jure Concilium dissolvere, atque ad alium, quemcunque voluerit,